



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Dispytatio III. De diuisione Entis in decem Prædicamenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

existentia non constituit humanitatem, casu quo distinguatur, neque hominem, ita neque esse de conceptu substantiali illius; nam existere, ut ipsi Thomistæ dicunt, est extra conceptum essentiae & substantiae.

82 Ideò putarem satis probabiliter in eâ sententiâ posse dici, existentiam esse accidens. Sed quid nos sumus solliciti de consequentiâ tenendâ in opinione fortè improbabilî ipsi viderint quid debeant dicere.

Sexta difficultas, An existentia sit prior quàm substantia. Respondeo breuiter, esse priorem, nihil enim nisi ut existens potest recipere substantiam, ac quancumque aliam formam; tunc enim ut purè possibilis non potest actu uniri, aut compleri, &c. quod ex terminis videtur notum.

Vltima tandem difficultas, ardet in potentia & existenti sit aliquis conceptus communis. Ab hac quæstione, quâ nonnulli non parum intricantur, ego me facillè excedio. Respondeo enim ex dictis supra, ens in potentia significare duo, in recto subiectum, quod denominatur ens; in obliquo verò negationem essendi. Hoc posito dico,

ens in potentia secundum significatum in recto esse ipsummet ens existens; nam illud idem concipio, quando dico, *non existit, sed potest*; secundum verò obliquum non habent conceptum communem, quia homini & carentiæ hominis non datur conceptus communis. Hinc colliges, Petrum actuale esse eiusdem speciei, imò propriè esse eundem numero cum Petro possibili, quia significatum in recto per vtrumque conceptum est idem; sicut Petrus qui fuit, & qui erit, est idem numero. Quod si sumamus id, quod dicit in obliquo Petrus, prout purè possibilis, carentiam scilicet ipsius Petri, tunc ea nec eiusdem speciei nec generis est cum Petro, ut ex se patet: estque res clara, oritur amen inde difficultas, quod quia Petrus iam non est in se, putant aliqui non posse illum ipsum nunc cognosci, sed id quod cognoscitur, debere esse aliquid aliud distinctum de facto existens, quod sit Petrus possibilis, & distinctus à Petro existente; nec aduertunt, intellectum semper eundem concipere, siue ille aliquando in se verè sit, siue aliquando non. Et hæc de possibilitate & existentia sufficiant.

DISPUTATIO TERTIA.

De diuisione Entis in decem Prædicamenta.

1 **D**IVIŒVM fuit ab Aristotele ens in decem Prædicamenta, seu series seu, Substantiam scilicet, Quantitatem, Qualitatem, Actionem, Passionem, Relationem, Durationem, Vbicationem, Situm, & Habitus. Disputatione XII. Logices hæc decem genera entis explicui breuiter, & in diuersis locis de illis ex professo & in particulari disputavi. Sola restant nobis Substantia, Qualitas, Situs & Habitus, de quibus suo ordine. Nunc solum aduerto, etiam ab Aristotele hæc solum traditi sunt decem communes modi loquendi, nonnullos tamen Auctores voluisse hanc diuisionem in omni rigore bonam esse, contra quos dico, si rigore res discutatur, eos & Aristoteli & rationi esse contrarios, & vix posse in diuisione aliquâ tot vitia reperiri quot in hac. Primò enim non est immediata, quia nouem Prædicamenta habent aliam rationem sibi superiorem & communioem, inferioriorem tamen ente quod diuiditur, nempe *rationem accidentis*, in quam prius oportebat ens diuidere, in Substantiam & Accidens. Imò si, ut hi ipsi volunt (de quo paulò post) Deus non intrat in Prædicamentum, oportuit primò ens diuidi in *creatum & increatum*: cum enim Deus sit nobilissimum omnium entium, cur ei non dabitur vna series, in quâ omnia prædicata diuina comprehendantur, præsertim cum agere de Deo, spectet ad Metaphysicam? Tertiò peccat hæc diuisio, quia habet multa membra, & in hoc violat leges statutas pro bonâ diuisione. Quartò, quia Substantia, quæ est nobilissimum ens inter omnia decem Prædicamenta, tantum vnum tribuit Prædicamentum, postea Accidenti imperfectissimo tribuit nouem. Cur, si immediatè diuisit ens in Habitus, Situm, &c. non diuisit in substantiam rationalem, sensitivam, spiritualem, &c. mate-

riam & formam? Et certè hoc modo dedisset species entis digniores consideratione, quàm sint Situs & Habitus. Quintò, in ipsis accidentibus ponit ut distincta, quæ nullo modo distinguuntur, Situs enim est ipsum Vbi, Habitus est Vbi vestitum in humano corpore; Quantitas, si distinguatur, cum Qualitate pertinent ad vnum Prædicamentum Accidentis absoluti. Relatio non distinguitur à fundamento & termino. Sextò, inter ipsa accidentia est valde diminuta: rogo enim, Ad quod fundamentum reducitur loqui, tacere, vigilare, dormire? Iam mirandum est, qualia hic non dicant, viri aliàs docti & graues, ut post tot vitia (ferè enim habet omnia septem mortalia) exactissimam hanc diuisionem esse demonstrant.

Ad Prædicamentum Habitus, reducunt esse *vestitum*: esse autem *armatum* dicunt non posse ad illud pertinere. Alij distinguunt inter arma: defensiva concedunt quidem illi, offensiuam negant. Timent fortè, ut quidam acutè norant, ne fiant irregulares, & Sacrum celebrare nequeant. Eos ego rogo, Ad quod Prædicamentum pertinebunt arma offensiuam? non enim patientur milites se excludi à Prædicamento. Rursus ad Passionem reducit Fonseca apud Hurtadum Disputat. 9. Metaph. §. 12. *gestare trabem*, quia homo patitur ab illâ. Benè Hurtadus illum reiicit, quia etiam *habere uxorem molestem* est quoddam genus passionis, & satis graue, in quo ergo erit Prædicamento?

Video quid respondere possit. Cum enim à Prædicamentis offensiuam arma ut ab Ecclesiasticis remoueantur, fortè & in illis continentiam requireret, nec uxorem habere vlli Prædicamento tamquam Ecclesiastico permitteretur: sed tunc ad quod Prædicamentum spectabit *choro assistere*, quale Prædicamentum erit, *amatum esse, honorari*

tum esse, *Nobilem, infamem, mercatorem, sartorem, pictorem, &c.* Tandem hæc diuisio includit sub vno Prædicamento res valde diuersas, imò & oppositas peccatum & gratiam sub Prædicamento Qualitatis, eandem verò rem Actionem & Passionem positam in duobus Prædicamentis.

Quæ autem ponenda sint in Prædicamento inter ipsas Substantias, quæ verò non, est apud istos Auctores valde dubium, & de quo accerimè inter se digladiantur, eum tamen purè sit de nomine, scilicet de significatione vocis *Substantia* aut *Qualitatis* quæ dicitur Prædicamentum, v. g. an Substantia hic significet completam solam an incompletam, an prædicata superiora an inferiora. Aliqui putant, Differentias non debere poni directè in Prædicamento, eo quòd, ut ait P. Rubius in Prædicamentis cap. 3. quæst. 1. Differentiæ ponuntur in arbore Substantiæ ad latus, directè autem corpus, viuens animal homo. Sed ego non putarem, Prædicamentum Substantiæ esse maius aliquem, in quem non succedit nisi filius primogenitus; aut non crediderim, Differentias non esse à legitimo matrimonio & honesto thoro natas. Hurtadus dicit, idè poni in Prædicamento directè, quia potest directè prædicari, Petrus est rationale. Rubius dicit, hoc non sufficere, sed requiri ut ponatur in eâ arbore lineâ rectâ, quia id significat vox *substantia* in præsentia. Quis iam hos componat & decidat quid hic ea vox significet? Ego non volo in hac lite arbitri esse, nisi cuiuslibet dando optionem, ut prout voluerit loquatur.

Circa Accidentia dubitatur, an Accidens in concreto an in abstracto ponatur in Prædicamento, id est, an album, an vero albedo. Noua quæstio de voce, in quâ, si rigori vocis standum sit, putarem sola Accidentia in abstracto debere poni, nam album nō est qualitas, id enim sola habet albedo; item actum nō est actio, nec quantum est quantitas: sapè enim dixi, hæc cōiuncta significari in recto subiectum, & in obliquo formam. Vnde benè dicitur, *Petrus est albus*, malè autem, *Petrus est albedo in subiecto*, aut *Petrus est albedo & subiectum*; ergo Accidens in concreto non potest directè & verè dici esse Accidens, Qualitas, &c. ergo nec directè in his Prædicamentis poni; non enim dicitur Prædicamentum *acti*, sed *actionis*, nec *qualis*, sed *qualitatis*, &c. quod sufficit pro eâ quæstione de nomine.

SECTIO II.

An Deus sit in Prædicamento.

NOVAM ecce celebrem quæstionem de nomine, an scilicet Deus ponendus sit in Prædicamento. Primò aduerte, D. Augustinum negare lib. de Cognitione veræ vitæ, cap. 2. Deum dici substantiâ, & poni in Prædicamento Substantiæ, eo quòd nomine *Substantiæ* ipse ibi solùm intelligat eam, quæ verè substat accidentibus; hoc autem sensu Deus non est substantia. Intelligit etiam Augustinus substantiam multiplicabilem in multa indiuidua, quod non habet natura diuina; quo sensu etiam alij Patres negarunt aliquàdo, Deum poni in Prædicamento. Scholastici verò alias inire vias ad id negandum. Et licet, ut dixi, quæstio hæc sit de solo nomine, placet tamen breuiter

ter eorum tangere rationes, quia aliquid de re fortè occasione illorum docetur. P. Fonseca apud Hurtadum supra §. 42. opinatur, in Deo non esse rationem genericam, quia hæc non potest esse infinitæ perfectionis, est enim imperfectior quàm species, omnia autem quæ in Deo sunt, sunt infinita. In multis hæc ratio peccat, Primò, quia in Deo sunt rationes communes, quæ vti conceptæ ratione nostrâ, non dicunt infinitam perfectionem: nam dum dico, *Deus est ens*, etiam si non dicam infinitum, sed ab eo prædicandam, affirmo aliquid verum de illo, & in hoc conuenit cum creaturis: imò ostendi contra multos, eam rationem esse vniocam Deo & creaturis; & quoad illam prædicatam non transcendenti intellectui, volitui, productui Substantiæ, &c. minor est adhuc difficultas, illa scilicet vniocam esse. Secundò malè docet Fonseca, genus infinitum non posse habere sub se infinitas species: nam ratio personæ diuinæ est genus infinitum, habetque sub se personas Patris & Filij & Spiritus sancti. Idem est de genere Relationis. Ad rationem Fonseca respondet nonnullus, Genus & Speciem esse indiuisibilem conceptum à parte rei, ideoque Speciem dici perfectiorem, quia conceptus formalis est clarior, genericus verò confusior, è quo nulla in obiectum cadit imperfectio. Hæc solutio, licet veram contineat doctrinam, non tamen satisfacit: nam in ipso obiecto videtur nobis quasi apparere maior perfectio, vnde dicimus Substantia ut sic non dicit infinitam perfectionem in Deo, & maiorem perfectionem de ipso prædico, quælo dico, illum esse ens à se, quàm quando dico esse ens absolute. Iam ergo est difficultas, an in conceptu generico formaliter explicem infinitam perfectionem. Quòd si explicio, ergo non potero in specifico maiorem explicare, cum tamen semper specificus dicit totum quod Genus, & aliquid amplius, saltem ex modo concipiendi; ideo respondeo, etiam infinitam perfectionem posse habere magis & minus ratione nostrâ, infinita enim perfectio est in voluntate diuinâ ratione nostrâ, maior tamen in intellectu. Sic ratio personæ diuinæ est infinita ratione nostrâ, magis tamen talis persona quæ dicit conceptum communem, & aliquid amplius. P. Vasquez idè Deum excludit ab hoc Prædicamento, quia neque est Genus, neque Species, neque Indiuiduum. Sed ostendi, Deum esse speciem Entis & Substantiæ, vnde ratio aliorum desumpta ex eo quòd ens sit transcendens reiecta manet, quia ibidem contrarium ostendi. Secundò, quia pari ratione neque creaturæ essent in Prædicamento, quandoquidem Ens est etiam transcendens creaturas.

Alij sic philosophantur: Plus differt ab Angelo Deus, quàm Qualitas & Quantitas, at hæc non ponuntur in vno Prædicamento, ergo nec Deus & Angelus. Verùm hoc displicet, Primùm, concedo enim consequentiam, rogo autem, Cur non ponentur in duobus Prædicamentis? Deinde supra ostendi, gratiam & peccatum plus differe quàm Actionem & Passionem, & tamen illa in vno Prædicamento, hæc in duobus ponuntur, ergo ex illâ differentiâ maiori nihil euincitur.

Rursus alij sic discunt: conceptus includens rationem duorum Prædicamentorum, non potest poni in Prædicamento: at Deus continet rationem

rationem Substantiæ & Relationis, ergo non pertinet ad Pradicamentum. Sed contra, nam Maior est falsa; Actio enim & Passio est vna indiuisibilis entitas, continens rationem duorum Pradicamentorum, & tamen pertinet ad Pradicamenta. Item vbicatio vestium continet tria Pradicamenta, Vbi, Situs, Habitus, & forte quartum Durationis. Imò in terminis ipsis videtur inuolui repugnantia in eâ Maiori: si enim continentur rationes duorum Pradicamentorum in aliquâ re, ergo illa pertinet ad duo Pradicamenta, quia pertinere & continere rationem Pradicamenti, est idem formalissimè. Secundò, quod idem obseruauit Hurtadus, relationes diuinae sunt propriè transcendentes, quæ ex hoc capite non pertinent ad Pradicamentum Relationis: verùm ego ibi etiam pradicamentales admitto, est enim vna persona etiam in personalitate similis alteri, quæ similitudo ad Relationis Pradicamentum pertinet. Sed hinc rursus ego reicio eam rationem suprà positam, nam in hoc sensu duæ Substantiæ sunt inter se similes, & pertinent ad Pradicamentum Substantiæ, & ad Pradicamentum Relationis: & vt maiorem vim habeat exemplum, pone illud in materiâ & formâ, quæ per

modum vnius pertinent ad substantiam, & tamen sunt inter se similes. Vide ergo quàm sit eâ ratio debilis.

Hinc concludo, etiamsi stemus rigori nominis, nullam adduci rationem, quâ excludatur Deus à Pradicamento, nisi illam quam D. Augustinus dedit; ille enim accepit Substantiam in tali sensu, in quo non inuenitur in Deo, vt dixi suprà, idè in eo sensu etiam ego Deum non pono in Pradicamentis, licet in alio sensu substantiæ visitatori in scholis proculdubio posset poni in Pradicamento. Quod si hæc pradicamenta sunt tam Ecclesiastica, vt suprà dixi, bene posset in illis Deus vt supremum caput locum habere.

Pradicamenta maiori ex parte propriè ad Metaphysicum spectare, nullò modo ad Logicam, dixi suprà, eò quòd Logica solum agit de actibus intellectus, non verò de rebus ipsis. Hoc idem docent hic aliqui, non scio tamen, an admodum consequenter ad eâ quæ in Logica docuerant, scilicet res esse etiam obiectum formale Logicæ: arguo enim inde, Ergo res, quæ in Pradicamentis ponuntur, erunt obiectum Logicæ formale, ergo & Pradicamenta pertinebunt per se ad Logicam. Sed de hoc alibi satis.

DISPUTATIO QUARTA.

De Substantiâ.

PRIMUM & principium Pradicamentum est Substantia, quam oportet prius explicare ac diuidere, eiusque passionis declarare.

SECTIO I.

Diuisio entis in Substantiam & Accidens.

PRÆTEREA Suarez lib. 2. Metaphysicæ, Disputatione 28. sect. 1. & Disputat. 32. sect. 1. putat, optimam diuisionem entis esse in *Finitum & Infinitum*, seu in *ens à se*, & *ens ab alio*. Mouetur, quia hæc est diuisio adæquata, & per differentias contradicentes sibi, sicut animal in *rationale & irrationale*, habentque illa membra summam oppositionem. Secundò, quia Deus & creatura valde analogicè conueniunt, ergo oportuit hac conuenientiâ prius explanatâ, ad creaturas postea descendere.

P. Hurtadus Disputat. 10. reiciit Suarium, eò quòd in bonâ diuisione subdiuidentia membra debent ita tradi, vt postea non sint in vno rationes aliæ communes alteri, ne fiat commixtio earum specierum diuidentium; atqui *ens à se* habet rursus prædicata intellectuini, quod potest subdiuidi in *intellectuum à se* & in *intellectuum ab alio*, & alia similia; idè docet, non bene diuidi Substantiam in *rationalem & irrationalem*, sed melius in *spiritualem & materiale*.

Verùm bene paulò post ipse vidit, hoc in talibus diuisionibus vitari non posse, & in exemplo ab eo posito de diuisione Substantiæ, adhuc clariùs idem ostendo: nam substantia materialis ha-

bet in hoc prædicatū *cognoscitivum*: quod rursus diuidi potest in substantiam *spiritualem cognoscitivam*, & *spiritualem non-cognoscitivam*, estque commune etiam vtrique diuisionis membro, sicut substantia irrationalis potest diuidi in *mortuam* & in *viuentem*, qui conceptus viuentis includitur in rationali, quod est alterum membrum. Vnde ego ex hoc capite non video, cur sit melior illa ens in Substantiam & Accidens, quàm in *ens à se* & *ab alio*.

Secundò contra P. Suarezium obicit, ens esse idem quod rationem essendi, idè quæ debere diuidi per immediatas rationes essendi; atqui esse Deum & creaturam, non sunt modi essendi, hoc enim conuenit perfectiati & inhærentiæ, ergo melior diuisio est entis in Substantiam & Accidens. Sed, ni fallor, hic arguitur in quatuor terminis: sumitur enim perfectitas & inhærentia, & postea fit argumentum ad Substantiam & Accidens in concreto: non enim diuiditur ens in perfectitatem & inhærentiam, sed in Substantiam & Accidens: at Substantia & Accidens non est modus essendi. Quòd si hoc modo velit sumere diuisionem, redeat mecum ad illam aliam Suarez *esse à se* & *ab alio*: tam enim est modus essendi *à se* quàm perfectitas, & *ab alio*, quàm inhærentia, ergo in hoc sensu tam bona est vna diuisio quàm altera, & vtrique per modos essendi.

Secundò addo, diuisionem rationis superioris, vt sit bona, non petere eos diuersos modos essendi, sed solum diuersa entia; diuiditur enim per se in species, quæ sunt per modum absoluti, sicut animal in rationale & irrationale, & brutum in equum & leonem, si non essent alia bruta possibilia. Ergo in hac quæstione puto dicendum, vtramque diuisionem esse adæquatam, immedia-